



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1865

IV. Ritter Burchard Gruelhut schenkt dem Prister beim
Heiligengeist-Hospitale zu Berlin 4 Hufen zu Weißensee, am 11. April
1313.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

IV. Ritter Burchard Gruelhut schenkt dem Priester beim Heiligengeist-Hospital zu Berlin
4 Hufen zu Weissensee, am 11. April 1313.

Ordinatum feliciter et prudenti consilio Testamentum immobile perseuerat, literarum si fuerit testimonio confirmatum. Sane itaque ego Borchardus, miles, dictus Gruelhut, ad noticiam cunctorum fidelium presentis temporis et futuri, hac ipsa certitudine cupio peruenire, Quod feria quarta ne derelinquas me Quadragesimali coram consulibus vniuersis constitutis Berlyn in eorum consistorio scienter, prompte ac bona deliberacione domino Arnolde sacerdoti, Rectori et prouisorio domus s. spiritus ibidem, quatuor mansos cum pacto et omni usufructu sitos in Wittenze, cum consensu meorum heredum, donacionis titulo contuli libere, quiete, pacifice possidendos tempore vite sue, in remedium et refrigerium anime mee necnon parentum meorum viuorum et mortuorum, quorum nomina posterius exprimentur. Adiciens nichilominus, quod volente domino postquam predictus dominus Ar. de huius vite medio fuerit euocatus, dicti quatuor mansi, ea libertate et iusticia, qua dominus Ar. eos possederat, ex tunc apud dictam domum sancti Spiritus in Berlyn perpetuis temporibus permanebunt. Insuper pro prestacione seu collacione a domino Marchione in iisdem mansis porrigenda, operam auxilii et promocionis cum omnibus meis fautoribus finem ipsum promouere potentibus, cum primum potuero, in presentibus facere compromitto. Proinde recommendacio et memoria mei et omnium parentum meorum singulis quartalibus anni pasche, Jo. Bapt., Mychaelis, Natiuitatis Christi temporibus, sequenti feria secunda in vigiliis et missa pro defunctis intente suppliciter et deuote a sacerdotibus ipsam domum regendam deputatis iugiter peragetur. Cuius rei testes sunt: Jo. Sone, Jo. de Rode, seniores in consilio tunc electi, ceterique Jo. Wyperti, Henricus Creyenwot, Rudolphus Strateburch, Th. Man, Elyas de Luccow, Christianus prefecti, Jo. de Soltwedele, Th. de Lecen consules ciuitatis. Super hoc presens scriptum inde confectum sigillo meo cum sigillo ciuitatis Berlyn constitui roborandum. Datum et actum Berlyn, Anno domini M^o CCC^o XIII feria quarta post dominicam palmarum.

Nomina memorandorum pro quibus largite sunt elemosine sunt hec: Dominus Borchardus, miles, dictus Gruelhut, vxor sua Floria, filii sui Jo. et Albertus, dominus Theodoricus, pater domini Borch. Gruelhut, vxor domini Th. Fascia, Margaretha quondam vxor domini Borch. Gruelhut, dominus Jo. Palmedach, dominus Wypertus Hamer, qui fuerunt milites honesti.

Nach dem Original im Berl. Stadtarchive No. 8 a.